CLASSIS PRAETORIAE

MISENENSIS

PIAE VINDICIS GORDIANAE

FILIPPIANAE

MONUMENTA QUAE EXSTANT

CLASSIS PRAETORIAE

MISENENSIS

PIAE VINDICIS GORDIANAE

PHILIPPIANAE

MONUMENTA QUAE EXSTANT

STUDIO COLLECTA

ET COMMENTARIIS ILLUSTRATA

A

P. RAPHAELE GARRUCCI

SOC. IESU.

NEAPOLI

EX TIPIS JOSEPHI CATANEO

1852

DE CLASSE MISENENSI

COMMENTATIO

Quoniam ad corpus titulorum classis Misenensis, aliquid praefari opus est, faciam libenter, ut qui fructus ex eorum collectione percipi possit, veluti in conspectu appareat; tamen ne quis me ad universam rem navalem prolabi animo inducat. Insistam enim argumento pressius, propterea quod hic operi finis mihi propositus est, ut ad Corpus Inscriptionum Latinarum, quod parari sensi, quidquid id opis est, ex ingenio meo, atque industria forte accedat.

Classis Misenensis exordia.

Insignem virum, qui Italiae duo maria optimo consilio maximis classibus, firmissimisque praesidiis, adornaverit, primum Pompejum Magnum fuisse invenio 1). Quo facto, quanta Populi Romani imperio majestas accesserit, lateque gubernandi commoditas aucta sit, nobilissimo Erinna Lesbia testimonio declarat illis versibus, quibus sic Romam alloquitur.

Σᾷ δ' ὑπο ζεύγλᾳ κρατέρων λεπάδνων
στέρνα γαίας, καὶ πολιάς θαλάσσας
σφέγγεται· σὺ δ' ἀσφαλέως γυβερνὰς
ἄστεα λαῶν 2).

1) Cic. pro L. Manilia c. 12.

2) Erinnae. Hymn. in Romam.

Successit Magno Caesar Iulius, commissa earum classium praefectura Hortensio et Dolabellae. Huius facti testis est Appianus, *Ἐκέλευσε νεῶν στόλους δύο γίγνεσθαι κατὰ σπουδὴν, ἀμφίτε τὸν Ἰόνιον, καὶ περὶ Τυρρανίαν, καὶ Ναυάρχους αὐτοῖς ἐπιγιγνομένους ἐπέστησεν Ὁρτήσιόντε καὶ Δολοβέλλαν* 1).

Exactis deinde bellis civilibus, confirmatoque Orbis Romani imperio, nihil sibi antiquius Augustus esse duxit, quam stationes in utroque mari constituere classibus, quarum ministerio uteretur. Portum igitur Ravennae superi maris, et Misenensem inferi, apud quos duae classes *praesiderent* 2), ad tutelam superi et inferi maris 3) elegit. Quare Misenensis classis primus conditor Augustus dicendus est. Haec vero institutio a Suetonio, et Tacito notata, latius ac fusius exigitur a Vegetio, cujus verba sunt. *Apud Misenum et Ravennam singulae legiones stabant, ne longius a tutela urbis abscederent, et cum ratio postulasset sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Misenatium classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo; classis autem Raven natium Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione consueverat* 4). His classibus praeterea etiam Foroiuliensi, de qua Tacitus 5), Praefectum unum imposuit, qui, more veteri, Praefectus classis appellaretur. Testes sunt inscriptiones, inter quas primo loco afferenda est illa, quae omnes aetate antecedit, refertque Aulum Castricium Myronem PRAEF. EQ. ET CLASSIS, quem Augusti tempore praefectum probat procuratio *patri*MONI, et XXVIVIR*atus* 6). Venafri extat titulus Sexti Aulieni, qui PRAEF. CLASSIS sub Tiberio fuit 7), et Ti. Iulius, qui classem, quae erat Miseni sub Claudio imperio rexit, ut ex diplomate Claudii constat 8), PRAEF. CLAS-

1) Appian. B. C. p. 745. Amst.
2) Tacit. Ann. IV. 5.
3) Suet. Aug. c. 49.
4) Veget. IV. 31.
5) *Tacit: Ann. IV. 5 Italiam utroque mari duae classes Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas actiaca victoria captas, Augustus in oppidum Foro iuliense miserat, valido cum remige.*
6) V. not. 2. ad inscript. 12.
7) V. Inscr. n. 11.
8) V. Inscr. num. 5.

SIS in lapide sibi a filio posito nuncupatur 1). Brevi tamen eo ventum est, ut singulis classibus singuli Praefecti ab Imperatoribus praeficerentur.Quod quo tempore primum acciderit, aut decretum sit, definire non possum. Tantum id ex Tacito colligo, Lucilium Bassum a Vitellio classibus simul Misenensi et Ravennati datum 2), et ex monumentis primus Tib. Iulius Paetinus Bassianus proditur, cui praefectura Classis Misenensis definite commissa 3) declarat, iam Ravennati alium impositum. Hunc a Nerone vixisse demonstrat ejus tribunatus Legionis primae Italicae quae a Nerone, conscripta est, ut docet Dio 4); imo vero fere sub Vespasianis praefectum Classis Misenensis fuise recte argumentari licet ex nomine Titi Flavii Titi Filii Optati duumviri, a quo monumentum Bassiano positum est. Profecto sub Tito Vespasiano fuit Plinius classi apud Misenum praefectus; *Erat Miseni,* scribit Nepos, *classemque imperio praesens regebat* 5). Reditum est tamen aliquando ad morem veterem, namque sub Septimio Severo Cn. Rustius Rufinus praefectus fuit eodem tempore Classium praetoriarum Misenensis nempe, et Ravennatis, quod ex eius titulo apparet 6).

Classis Misenensis stationes, et navium numerus.

Miseni in civitate Praefectum Classis praetorium habuisse satis colligi potest exemplo Plinii, quem Miseni fuisse, classemque imperio rexisse narrat Nepos; quo tempore luctuosum illud Vesuvii montis incendium eius vitam extinxit.Navium vero Misenensium stationes alias aliis in portubus fuisse testantur monumenta. Et certe Ostensem recte posuit Philippus a Turre, firmatque titulus ibi effossus, quem dedicant milites Classis Misenatis, qui essent Ostia 7). Possis et portum Lucrinum, et Puteolanum, et Neapolitanum, et Surrentinum adiicere, quibus in locis tituli classiariorum defossi feruntur. Tamen Retinae statio proposita a

1) V. Inscr. n. 13.
2) Tacit. H. 11. c. 100.
3) V. Inscr. n. 14.
4) Dio. L. LV. c. 24.
5) Epist. VI. 16. et Plinii vita; *Periit clade Campaniae. Nam cum Misenensi classi praeesset etc.*
6) V. Inscr. n. 16.
7) V. Inscr. n. 3.

Cl. V. Rosinio et nonnullis eruditis 1) pravis fulcitur male talis, nec Vulturni placet, artifice Pratillo 2). At in Campania plures stationes fuisse, ut ante dixi, insinuat Vegetius, qui classem non Miseni, sed in Campania collocatam scripsit 3). *Liburnis, quae in Campania stabant, praefectus classis Misenatium praeerat.* Firmat etiam Tacitus 4). *Epicharis in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefactare connixa est.* De Navium numero nihil compertum. Naves CCL. classis Ravennatis Iornandis locus unus ex Dione, ut ait, sumptus insinuat, nec minorem in classe Misenatium numerum rationem poscere, judicat Lipsius 5). Septuaginta quidem certe navium nomina ex titulis classiariorum colligere hactenus potui, inter quas liburnas decem, triremes quadraginta septem, decem quadriremes, quinqueremes duas, hexerem unam.

Topographia portus Misenensis, et sepulcrorum structura.

Sed quoniam, Topographia et Τοποθεσία portus Misenensis quae fuerit, quaerere quis posset, meaque sententia, opportune et ad scientiam, et ad voluptatem; id a me suscepti officii ingenium postulat, ut libenter faciam.

Est in extremo sinu baiano ad solem occidentem littus, quod in mare prominens hinc inde lunatis lateribus ostio ad orientem converso, portum efficit et altitudine maris et stationis securitate mirifice commodum ad naves recipiendas, ad tutandas opportunum. Ingressis et recta tendentibus in oppositas ripas, natura ne an arte per canalem immisso freto, arte potius factum crediderim, interior alius explicatur sinus circuitu passuum millium fere quatuor flexuosa curvatione, arduo hinc promontorio Misenate, inde baulanis jugis, edita Miseni planitie medium locum retinente, ubi quondam urbs, clivis etiam undique cingitur. Opus pilarum, cuius reliquiae ad ostii laevam sunt, obiectum olim fluctibus; harum mole debilitatus aestus tutam

1) Diss. Isag. p. 79. 80.
2) Via Appia p. 182.
3) Veget. IV. 31.
4) Tacit. Ann. XV. 51.
5) De magn. Rom. L. 1. c. 5. tamen v. Brotier ad Tacit. An. IV. 5.

stationem faciebat. Provisum vero est hoc praeclaro invento, cuius utilitatem nostra tempora revocarunt, ne flantibus euris, arenaeque vi e mari importata, aditus, et interiora canalis exaggerarentur. Insuper et fossa ad laevam intimi lacus percussa, et perforati tumuli, qua fluxus maris everrens refusam fecem et limum ab aqua caelesti labente montibus iniectum eliceret; spondarum perfossi littoris latera ponte ligneo coniuncta. Porro veteres fauces portus vetustate iam dudum oblitas, vadumque ipsum, nuper invenit pari solertia, et architectonicae scientia p. I. B. Iazeolla sodalis meus, observato altiore fundo maris, in ea parte orientis solis. Singula aedificiorum genera dum scrutor, quibus circum iacens littori collis et ager obtinetur, nihil magnifici operis deprehendi praeter notam piscinam, adiectasque substructiones, et theatrum classiariorum, omnia ad dextram lacum ingredientium. In laeva scopulus in mare se porrigens, totusque cuniculis actis per oppositas rupes undis pervius, ne aggesta arenarum vis fundo officeret. Ceterum ex quo ceptum est titulos inscriptos inquirere, marmoreasque operas exportare, atque disperdere, sepulcra, quibus plena omnia circa portum erant, alia in pauperum casulas, alia in villas conversa, plagam omnem ruinis aedificiorum foedam effecerunt. Quae veterum conditoriorum fuerit imago, ac conditio paucis dicam. Aedificabantur passim in cubiculi formam ac modum fornice camerato. Circa parietis multis versibus columbaria perpetua, nisi qua aedicula est parastaticis et fastigiolo ornata, quae medium plerumque locum teneat. Aliud genus sepeliendi est, ubi corpus arca lignea conditum humi ponunt, structisque parieticulis pedum duorum, summumque pectinatim tegulis latis pedes duos semis quaquaversus fastigant, magnamque molem caementae imponunt, credo ut religiosius servarentur, incrustantque verticis medium titulo inscripto. Hic vero mos sepeliendorum militum plurimus fuit. Hinc tabellae refixae, ut accepi, et expertus sum. Aliquando tandem sub Severo Alexandro concessus est ager ubi commune sepulcrum classiariorum pauperum esset, ne aere collato, ut antea curarentur 1).

1) V. Inscript. n. 10.

De castris misenensium, et eorum Praefecto.

Castra Misenatium uti Romae 1) ita Miseni fuisse puto. Quorum usus Romae principalis fuit in expeditionibus bellicis, ad *vias muniendas* 2) *καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προκατακόπτειν* 3). Alia etiam interdum praestitisse historici docent. Nam Lampridius *vela*, classiariorum ministerio, *ducta in amphitheatro* narrat 4), et Suetonius: *Othonem per classiarios arma transferri imperasse, remittique navibus, quibus veherentur Ostiam* 5). Itemque Classiarios ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeasse 6), egisseque in scaena theatri castrensis 7). His castris quis fuerit impositus, quove imperio, nemo prodit. Probabile vero est Tribunum datum, pari exemplo, ac castris equitum singularium 8). Nuper Beneventi erutum fragmentum descripsi, in quo haec superant.

IO RVSTIO
AEPOSITO. AN
M. AVRELII. ANTOI
M. MISENATIVM
RIAE XI VRBAN.

Cn Marcium Rustium ex Rustiorum familia puto, patremque eius Marcii Rustici Rufini, qui sub Septimio, Praefectus cohortium vigilum fuit, itemque classium praetoriarum 9). Hic vero praepositus annonae ex auctorit. Imp. Caes. M. Aurelii Antonini. Aug. Trib. castrorum Misenantium, Trib. cohor..praetoriae XI. urbanae etc. fuisse videri potest.

De Cognomentis Classis Misenensis.

Additas classi Misenensi appellationes honoris caussa, ut le-

1) Rufus Brev. Urb. Fabretti Inscr. Dom. p. 365. 3. Visconti apud il Guattani. Mem. Encicl. an: 1817. p. 134.
2) Hygin. Gromat.
3) Joseph. Ant. Jud. p. 1090.
4) Lampr. in Commodo c. 13.
5) Suet in Othone 8.
6) Suet in Vespas. c. 8.
7) Kellerm. Vigiles p. 30. 38.
8) Henzen. Sugli equiti singolari p. 30. seg.
9) V. Inscript. n. 16.

gionibus, et cohortibus, monumenta testantur. Praecipuum tamen fuit et commune Misenensi cum Ravennate, ut Praetoriae appellarentur. Cuius causam cum Lipsio puto, quod ad Italiae et Principis tutelam essent constitutae 1). Ornatas hoc cognomine sub Traiano, statuit Josephus Vernazza 2), quem Clemens Cardinali sequitur 3), et Cl. V. Barptolemaeus Burghesius probat 4). A quorum sententia non discedo, quod certi nihil opponere habeam 5). Accessit deinde duplex cognomentum PIA. VINDEX, sub Caracallo, aut Helagabalo 6); sub Gordiano P. V. GORDIANA dicta 7). Demum sub Philippo P. V. PHILIPPIANA 8) audiit, seu PHILIPPIANA. P. V. MISENENSIS, ut opinatur Cl. Burghesius 9).

De genere huius militiae seu de cohortibus, vexillationibus, et stipendiorum numero.

Milites classiarii, remiges aliquando dicti 10), ut Frumentarii, ut Peregrini, ut Vigiles, quibuscum aliquam cognationem habere videntur, utque auxiliariae militiae in cohortibus merebant. Ceterum ad militiam legionariam interdum ab Imperatoribus evecti, nomen primae conditionis in honoratiore militia retinuerunt, indeque *legiones Classicae* extiterunt. Id vero doctissimo Fabretto imposuit, qui *apud Misenum et Ravennam legiones singulas* stetisse contra Lipsium tenuit 11). Melius Lipsius Vegetium ita scribentem, *pro more sui temporis, et parum conspecte locutum* affirmavit 12). Aliquae cohortes igitur in quaque statione aderant, ut *cum ratio p ostulasset, sine mora, sine circuitu, ad omnes mundi partes navigio pervenirent* 13). Erant autem milliariae, quibus *Chiliarchus* imperaret 14); neque alio

1) De Magn. Rom. I. 5.
2) Dipl. di Adriano.
3) Dipl. Milit.
4) Nuovo Dipl. Milit. T. X. Atti della Pontif. Acc. di Arch. p. 153.
5) V. not. 2. ad Inscript. 27.
6) V. Inscr. 20.
7) V. Inscr. 17.
8) V. Inscr. 4.
9) Nuovo Dipl. etc. p. 154.
10) V. Inscr. 5. n. 1.
11) De Col. Trai. p. 83.
12) Lips. De Magn. Rom. I. 5.
13) Veget. IV. 31.
14) Tacit. An. XV. 51.

numero *mille* illi *classici* in bellum ab Othone educti, simulque inter Placentiam Ticinumque intercepti 1), in una cohorte militabant. Quot vero cohortes in classe fuerint, definiri non potest 2). In expeditionibus vero, et magnis bellorum motibus, additae classi vires ex *urbanis cohortibus*, et praetorianis 3), devectasque in alias regiones copias, et legionum supplementa, classis ministerio, ut par erat, etiam ex lapidibus constat 4). Praeter cohortem milliariam, quam posui, alii etiam classici expletis stipendiis retenti sub signis fuerunt, iique *vexillationem classis* constituerunt, quod ex titulo a Caietano Marinio inter inscriptiones albanas edito colligitur 5), cuius fragmenti extrema verba sunt .... VEXIL. CLAS. PR. .... supplenda fortasse Praeposito *Vexillationis. Classis. Praetoriae* etc. In navi triere integram Centuriam classiariorum militasse satis declarant monumenta quae Centuriam dant, addito nomine proprio navis trieris, in qua quis meruisset miles, exempli causa, >· TRIERE. SPE. >· TRIERE. PACE; hoc est *Centuria triere Spe, Centuria triere Pace* etc. 6). Quot stipendiis militaverint Classici docemur ex monumentis. Anno enim reparatae gentis humanae LXXI. missio data est sex et viginti stipendia emeritis, sub Philippo tamen octo et viginti annorum militia functis.

Classiarii Misenenses in legiones compositi.

Ad honoratiorem militiam legionariam evectos classiarios dixi, idque primo sub Nerone, qui ex his primam Italicam conscripsit, deinde sub Galba, a quo legio prima adiutrix condita est. Cuius facti notitia Dioni debetur, et Suetonio, et Tacito, quorum auctorum loci, diu doctorum ingenia exercuerunt disputantium, quemadmodum Cassii Dionis narratio potissimum cum Tacito et Suetonio consisteret. Nunc re a doctissimo Reimaro fere composita, Clemens Cardinalis Vir Cl. contendit Galbam poenituisse, quod classiariorum preces ad pontem Milvium,

1) Tacit. H. II. 17.
2) V. ad locum cit. Vegetii notas in vocem *denae*.
3) Tacit. H. I. 87.
4) V. Inscr. n. 20.
5) Inscr. alb. p. 52.
6) V. Inscr. n. 76.

equite immisso, retuderit, militesque primae adiutricis ex his ab eo fuisse conscriptos 1); quod unde hauserit, nescio. Res enim ita acta esse narratur. Romam properanti Galbae cum exercitu occurrunt Neronis corporis custodes, remigesque ii, quos ad iustam militiam evexerat Nero, licet nec Aquilam, adhuc nec signa, aut locum tendendi haberent. Harum duarum militiarum preces diversae. Nam corporis custodes stipendia flagitabant 2), remiges signa et aquilam. Ita Plutarchus: Ἐρέται σημεῖα τῷ τάγματι καὶ χώραν αἰτοῦντες 3), et Dio: Οἱ ἐρέται μὲν ἠξίουν ἐν τῇ αὐτῇ στρατείᾳ φυλαχθῆναι 4). Igitur Galba neronianis corporis custodibus stipendia negavit: τοῖς δορυφόροις τοῦ Νέρωνος αἰτοῦσι χρήματα, οὐκ ἔδωκε. 5); Classiarios vero *disjecit, decimavit etiam, egitque in custodiam* 6). Galba tamen, dum hos in custodia habet 7), ex aliorum classiariorum numero primam legionem adiutricem conscripserit, necesse est 8). Nam *reliquos caesorum ad pontem Milvium et in custodiam habitos in numerum legionis* non Galba, sed *Imp. Otho composuit* 9). Legionem vero primam Italicam, *classicam* Tacito dictam 10), e classe a Nerone conscriptam aeque constat 11).

De officiis maioribus.

Quibus viris libera republica maris imperium committeretur, res est notissima. Pompeium Magnum, Marcum Bibulum, Hortensium, Dolabellam, Calvisium in mentem revocare sat erit, qui extremis morientis reipublicae temporibus classis praepositi memorantur. Tamen Menecrates, et Menas Pompeii liberti, alter praefectus, alter sub praefectus classis fuerunt. Hunc Caesar civitate donatum Calvisio Sabino subiecit, adductus ejus in re navali peritia, et mole belli 12).

1) Dipl. Milit. Dipl. di Claudio.
2) Dio. LXIV. 3.
3) Tacit. H. I. 6. Suet. in Galba. 12. Plutarch. in Galba Dion. l. c.
4) Tacit. H. I. 87.
5) Plutarch. in Galba.
6) Dio LXIV. 4. cf. Reimarum ad hunc locum.
7) Dio. l. c.
8) Dio. LV. 24.
9) Tacit. H. I. 87.
10) Tacit. H. I. 31.
11) Tacit. H. I. 6. Dio LV. 24.
12) Appian. B. C. p. 1139.

Aulus Castricius Myrio sub Augusto 1), et Sextus Aulienus sub Tiberio 2) novi homines classem rexerunt. Claudius Tiberium Julium Optatum Pontianum libertum praefecit. 3) Anicetum Nero 4). Ceterum Praefecti classis ex procurationibus promovebantur, aut ex alarum praefectura, ut Lucilius Bassus, 5); quocirca et equestri dignitate fuerunt. Horum postremus, qui ex monumentis prodit, Hieronymus? *Viri perfectissimi* titulo honoratur 6). quod, qua conditione is fuerit, satis declarat. Quaesitum aliquando est, nobilior ne Misenensis classis praefectura, an Ravennas esset. Joseph Vernezza Vir Cl. Misenensem putat 7), quod M. Calpurnius Seneca ex Ravennate in Misenensem esset promotus. Opponere possum Lucilium Bassum ex praefectura utriusque Classis ad Ravennatem destinatum a Vitellio 8).

His suberant Sub praefecti classis, quorum fuit in aliquibus causis judicium ferre cum concilio. Senecio in causa Aelii Rufini, et heredum Patulcii Diocletis iudicavit de contemptu religionis ob violationem sepulcrorum in solo empto 9). Succedit ordine Tribunus Castrorum et Chiliarchus cohortis, ut coniicere licet, quem *Tribunum* vocat Vegetius; hunc porro sequentur Principes, quorum dignitas, et in classiaria militia gradus is fuit, unde ad primum pilum Legionis promoveri merito possent. Cl. Henzenius docte nuper posuit *principem* certissime pro *primo principe* usurpari 10); id vero verissimum existimo, tametsi nullus in classe Misenensi hactenus titulus inventus sit, qui primum principem prodat. Plures vero principis dignitate fuisse eodem tempore patet ab inscriptione, quae refert Titum Flavium Antoninum 11) EX . N. PRINC CL *Ex numero principum Classis*, ad primopilum legionis promotum. Praepositi reliquationis aliquando ex centurionibus, 12), nonnunquam ex primipilari-

1) V. Inscr. n. 11.
2) V. Inscr. n. 12.
3) V. Inscr. n. 13. not. 1
4) Tacit. H. 1. 87.
5) Tacit. H. 11. 100.
6) V. Inscr. n. 4.
7) Dipl. di Adr. p. 19.
8) Tacit. H. III. 56, 57.
9) V. Inscr. n. 10.
10) Bull. Instit. an. 1851. p. 115.
11) V. Inscr. n. 32.
12) V. Inscr. n. 20.

bus 1) aliorum numerorum sumpti. Sequitur ordo Centurionum; his Navarchos et Trierarchos inferiores fuisse, antequam ab Antonino Pio ornamentis Centurionatus augerentur 2), ex fragmento lapidis Misenensis didicimus. Post ea tempora Navarchis ad Principum Classiariorum gradum patuit aditus,quin centurionatus intercederet 3). Itaque P. Petronius Afrodisius ex Navarcho, Princeps classis praetoriae Ravennatis est factus.

Officia minora.

Navarchis exercitatorum munus additum, quod Centurionum erat in aliis militum numeris 4). Id ex Vegetii loco manifesto colligitur. *Singulae liburnae singulos Navarchos habebant, qui, exceptis ceteris nautarum officiis, gubernatoribus, atque remigibus, et militibus exercendis, quotidianam curam et iugem adhibebant industriam* 5).

Magistri navium modo Navarchi, nunc Trierarchi vocabulo designantur. Esse autem diversos inter se docent lapides in quibus Petronius Afrodisius ex trierarchis Navarchus factus est. Tamen aliquando *trierarchos* pro *navarchis* etiam poni, ut *remiges*, pro *milite classiario*, certum est. Trierarchum semel apud Tacitum pluribus navibus praefectum, rem singularem putat Schefferus 6). Verum non magis trierarchis, quam Navarchis imperium aliquarum navium in expeditionibus, in stationibus, in portu veluti extraordinariis ducibus, adducor, ut datum putem. Archigubernum in classe majori aliqua ex parte Navarchis dignitate fuisse demonstrat titulus T. Aurelii Candidi 7), qui Navarchus Archigimberni fuit; Namque cum Navarcho cuiusque navis gubernator subesset, idemque Archigimberno potiori ratione subiiceretur, oportuit, ut Navarchus Archigimberno in nauticorum muniis regendis inferior censeretur. Navarcho igitur suberat gubernus, qui remigum princeps, et Magister habebatur. Erat prae-

1) V. Inscr. n. 21.
2) V. Inscr. n. 2.
3) V. apud Rubeum in Hist. Ravenn. titulum P. Petronii Afrodisi. p. 19.
4) Henzen, degli Equiti singolari p. 44. seg.
5) Veget. IV. 32.
6) Mil. Nav. IV. 6.
7) V. Inscr. n. 25.

terea Proreta; deinde Naophylax, post hunc Armicustos,et Velarius, de quibus abunde a doctis viris agitur 1). Restat ut ordine prosequar militum officia. Ante omnesEvocati veniunt nominandi, dein Emeriti et veterani; Beneficiarii Stolarchi, seu Praefecti Classis, sequiorem locum dabo Annonariis, qui et Diaetarii dicti, licet hoc officio nonnunquam et Centuriones ipsi functi, sicut in militia terrestri, quibus annonae cura commissa, tamen non ea ratione, sed pleniori quadam forma, et superiori dignitate. Hos excepit Secutor Trierarchi, Optio in classe, Apparitor, et Dispensator classis, quem titulo unico debemus, ex quo apparet ab imperatoribus servos suos aliquando eo munere occupatos,qua ratione ab Osco liberto, Othonis aetate, cura navium retenta est, quo officio antea eum functum puto, cum praefectura classis, ut Tib.Julius Optatus. Duplicarii Sesquiplarii, et Beneficiarii dicti milites, et principales inter artifices, veluti Victimarius et Scenicus. Sunt et Strigilatores, et Subunctores et Cornicines, hisque omnibus inferiores Scribae. Tandem Collegia artificum, et Factiones in quibus Dendrophori, Fabri et Classiarii, cunctumque genus extruendarum navium collectum, et centuriatum. Innumera etiam turba remiges, et qui ab Ostia et Puteolis Romam per vices commeabant classi accensendi. Quibus dum facile expletur numeratio officiorum, quae e lapidibus classis Misenensis collecta sunt, tamen fatendum est non eo demum ordine,aut serie disponi potuisse,quae dubia evellat, imo ea conditione esse, ut vix coniectura probabili nitantur dignitatis gradus.

1) V.Schefferum,et Herculanensium vol. 1. Bronzi. qui ceteris magis.

MONVMENTA

INSCRIPTIONES PVBLICAE

IMPERATORIBVS POSITAE

1.

IMP · ANT [1])
PII · P · P · FILIO
CLASSIS · PRAETORIA
MISENENSIS

2.

DIVI · NERVAE ADNEPOTIB [1])
VARCHI · CLASSIS · PRAETOR · MISEN
NTVRIONATVS · QVIBVS · DIVVS · PIVS
AVERAT . ADDITO · TERTIO · ORDINE
PEM · AEQVAVERINT

1 Puteolis in Museo Cl. V. Caroli Rosini Episcopi Puteolani. [1]) Filium Antonini Pii M. Aurelium Caesarem designari declarat ipse lapis, quem facile positum esse constat, Antonino nondum in Divos relato. Tametsi DIVI appellatio aliquando omissa est (Labus Note all'Apoteosi degli Imperatori Romani del Morcelli tom. VIII. Memorie di Relig. etc Modena); hic tamen serio dubitandi causam nullam titulus praebere videtur, quominus M. Aurelio adhuc Caesari inscriptum putemus. Refero igitur ad id tempus, quo *adhuc quaestorem et consulem secum Pius Marcum designavit, et Caesaris appellatione donavit* (Capitolin. in M. Aurel. Philos. c. 6.). Hac fultus ratiocinatione sic fragmentum restituendum opinor: *M. Aurelio Caesari*-IMP. AN-*Tonini Aug.* PII. P. P. FILIO-CLASSIS. PRAETORIA-MISENENSIS.

2 Guarini Comment. IX. p. 33. Henzen Bull. Instit. 1851. p. 172. in Museo Borbonico. Contuli et emendavi. [1]) Imperatori M. Aurelio eiusque imperii consorti L. Vero tabula dicatur, idque recte concluditur ex iniecta men-

3.

E. 1) IMP · CAES · COM
PIO · FELICE · 2) SACR . QV
M · 3) DVLIC · MILIT · CL
SENT · OSTIA · 4) SVB
TI IVSTI · TR · 5) VII · ID
MODO AVG · V COS 6)
TE · PRISCO ☙

tione DIVI PII. Apparet ex tabulae mensura, formaque et figura literarum quartam totius monumenti partem ad nos pervenisse. Primam lapidis iacturam reficere facile est. *Imp. Caes. M. Aurelio. Antonino. Aug. et. L. Aurelio Commodo. Vero. Divi. Antonini. Pii. filiis. Divi Hadriani, nepotib. Divi Traiani. abnepotib.* DIVI. NERVAE ADNEPOTIB. Reliquum supplementum probabili coniectura me assecutum non dixerim. Tamen, ne frustari lectorem videar, aliquid dicam, non ut conficiam, sed ut enitar. Versus a primo ad quartum sensim decrescentes probant etiam literae superstites. Imperatorum munificentiam ut *Na*VARCHOS ita et Trierarchos officio et gradu coniunctos affecisse existimo. Probabile vero est ad ornamenta centurionatus, quibus Divus Pius eos donaverat, etiam commoda decurionum municipalium Augustos addidisse. Egregie enim Alfonsus Giorgi V. Cl. mihique coniunctissimus opinatus est, laudante W. Henzenio V. Cl. cuius etiam ingenio et amicitia fruor, *tertium ordinem esse decuriones*; aliudque exemplum huius munificentiae ex Dione citavit (L. 49. 14.). Namque Augustus milites suos, Centurionesque in spem induxerat fore, ut in decurionum ordinem suae quemque civitatis eos adscriberet. *Optimum* quod principi epitheton dat Cl. Henzenius (Bull. Archeol. 1851. p. 175.) valde probo, eoque utar in tituli parte restituenda, quam heic adiicio. *Trierarchi et Na*VARCHI . CLASSIS . PRAETOR . MISEN. *quod ornamentis Ce*NTVRIONATVS . QVIBVS . DIVVS . PIVS *eos antea don*AVERAT . ADDITO . TERTIO . ORDINE . — *Optimum Princi*PEM. AEQVAVERINT.

3. Fea Iscrizioni Consolari p. 339. Tav. 44. n. 3. Porto. Plenius et accuratius descripsit amicissimus et eruditissimus eques I. B. de Rossi cuius apographum acceptum a Cl. Viro Marchione Ios. Melchiorri hic exhibeo. 1) Non mediocrem difficultatem habet etiam hic titulus. Restituo: *Pro. salu*TE. IMP · CAES · CO*Mmodo . Aug.* PIO. FELICE . SACR · QV*od. stipendiu*M. DV*p*LIC. MILIT. CL-*pr. mis. qui. es*-SENT. OSTIA. SVB. *cura*... (cf. MILITES . AVXILIARES . LAVRIACENSES . CVRAE . EIVS . (Leontii V. P.) COMMISSI · Grut. 285.).. TI · IVSTI . TR . VII. ID . . . . . *Imp. Com*MODO . AVG. V. COS. *dedican*TE · PRISCO. 2) Expectares hic FELICI, inferius etiam DVLIC · manifesto pro DVPLIC.

4.

RPICO · MAX · ARMENIACO · M 1)
CO · MAX · ADIABENICO · MAX
P · XVIIII · CONS · VII · 2) P . P .
O' ·VS · V. P . PRAEF · CLASS · PRAET
MINI · MAIESTATIQ . EIVS · DICATISSIMVS.

DIPLOMATA

5.

TI · CLAVDIVS · CAESAR · AVGVSTVS
GERMANNICVS · PONTIFEX · MAXIM
TRIB · POTESTATE · XII · IMPER · XXVII

sculptoris indiligentia. 3) Duplicatum stipendium suspicatus sum; *militibus* enim *bene de republica meritis iam olim virtutis causa senatus duplex stipendium assignare solebat*, ut Schellius recte (Thes. Graevii T. X. col. 1200.). Placet etiam Domitiani exemplum revocare, a quo *additum et quartum stipendium militi aureos ternos*, notat Suetonius. (Suet. in Domit. c. 7.). Probo Valerianus olim teste Vopisco *salarium duplex fecit* (Vopisc. in Probo c. 5.). *Flagitabant exercitus (in Illirico et in Germania) a Ti. Caesare at aequarentur stipendio Praetorianis* (Suet. in Tib. c. 25). 4) De hoc ablativo exempla non rara 5) Trierarchi. Trierarchos classiariorum stationum praefectos fuisse colligimus etiam ex Tacito (H. 11. 16.), qui *Pyrrhicum trierarchum liburnicarum ibi* (in Corsica) *navium* appellat. 6) A. V. C. 938.

4. In Museo puteolano Cl. Viri Car. Rosini Episcopi Puteol. 1) Ita restituendum puto. *D. N. Imp. Caesari C. Aurelio. Valerio. Diocletiano P. F. Inv. Aug. Pont. Maximo. Germ. Max. VI. Sarm. Max. Persico. Max. II. Britt. Max. Ca*RPICO. MAX. ARMENIACO. *Max.-Medi*CO. MAX. ADIABENICO. MAX.-*Trib.* P · XVIIII · CONS · VII. P. P.-*Procons.* .. O . . . VS. V. P. PRAEF. CLASS. PRAET. *Mis. Nu*MINI. MAIESTATIQ. EIVS. DICATISSIMVS. *Carpicum* cognomine dicit Diocletianum basis Aquis Sextiis reperta. Hoc igitur erit secundum monumentum tam insignis appellationis, cuius causam Victor tradit in eius vita. *Interea caesi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum* (h. e. in Pannoniam. Ammian. XXVIII. 2) *cuius fere pars ab Aureliano erat.* 2) Anno Urbis 1052. Chr. 302, in quo septimum consulatum iniit, tribuniciae potestatis anno decimo nono. Namque imperium adeptus est mense septembri anni 284, cuius exitu prima eius tribunicia potestas veteri more, jam a Traiano inducto, terminata est (Borghesi Inscr. di Fuligno p. 330.).

5. Antichità di Ercolano Bronzi T. 1.

PATER · PATRIAE · CENSOR · COS · V
TRIERARCHIS · [1]) ET · REMIGIBVS . QVI · MILI
TAVERVNT · INCLASSE · QVAE · EST . MISENI
SVB · TI · IVLIO · AVGVSTI · LIB · OPTATO · ET
SVNT · DIMISSI · HONESTA · MISSIONE
QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT
IPSIS . LIBERIS . POSTERISQVE · EORVM
CIVITATEM · DEDIT · ET · CONVBIVM · CVM
VXORIBVS · QVAS · TVNC . HABVISSENT
CVM · EST · CIVITAS IIS · DATA · AVT
SI QVI · CAELIBES · ESSENT . CVM · IIS
QVAS · POSTEA · DVXISSENT · DVM
TAXAT · SINGVLI · SINGVLAS
A · D · III · IDVS · DECEMBR
FAVSTO · CORNELIO · SVLLA . FELICE CoS [2])
L · SALVIDIENO · RVFO · SALVIANO
GREGALI
SPARTICO · DIVZENI · F· DI PSCVRTO
BESSO
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TA · BVLA
AENEA · QVAE · FIXA·EST · ROMAE · INCAPI
TOLIO · AEDIS · FIDEI · POPVLI · ROMANI
PARTE · DEXTERIORE

L · MESTI · L · F	AEM · PRISCI DYRRACHINI
L · NVTRI	VENVSTI . DYRRA CHINI
C . DVRRACHINI	ANTHI . DYRRA CHIN
C . SABINI	NEDYMI . DYRRA CHINI
T . POMPONI	EPAPHRODITI DYRRACHINI
N· MINI HYLAE	THESSALONICEN SIS

pag. 39. Omnes qui ex Herculanensium volumine descripserunt, hic referre supersedeo, praecipui sunt, Marini. Fr. Arv. p. 440. segg. Cardinali Diplomi Militari, Arneth Militar Diplome. In diplomatum natura perscrutanda, eorumque ratione recte investiganda eruditorum ingenia diu se exercuerunt. Praecipui post Herculanenses Caiet. Marini, et Clemens Cardinali; paucas

6.

IMP · CAES · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F · DIVI · NER
VAE · NEPOS · TRAIANVS · HADRIANVS · AVG
PONT · MAX · TRIB · POT · XII · COS · III · P · P ·
IIS · QVI · MILITAVER · IN · CLASSE · PR · MISENENSI
QVAE · EST · SVB · IVLIO · FRONTONE · SEX · ET
VIGINTI · STIPEND · EMERIT · DIMISSIS
HON · MISS · QVOR · NOM · SVB · SCR · SVNT

tandem nebulas, quae adhuc insidebant, excussit Barpt. Borghèsi. (Nuovo diploma milit. T. X. Atti della pont. Acad. di Archeol.). Est igitur diploma exemplum descriptum ex tabula aenea, in qua primo nomina eorum militum incisa, quibus Imperatores civitatis et connubii iura concedebant. Duabus plagulis aeneis formula ita describebatur, ut unam paginam latere maiore applicitae inter se transversim repraesentarent. Itaque tabellae plicabantur in formam diptycorum, et lino transutae obsignabantur ea parte, qua septem, nonnunquam etiam quinque testium nomina incidebantur; externa vero diptyci facie repetebantur quae interiore pagina essent descripta. Ex duabus plagulis, una tantum aliquando inventa [1]). Mira et singularis opinio Clementis Cardinali fuit, qui, quod trierarchos tantum et remiges hic nominari videret, milites praetermitti; necessarium putavit concludere, milites hic mutato nomine trierarchos dici, quod equidem numquam a tanto viro prolatum, imo ne cogitatum quidem, vellem. Argumentis doctissimorum Herculanensium, quibus probarunt milites hic remigum appellatione contineri, aliquid etiam addere non erit supervacnum. Nam milites classiarios, remigem appellat Tacitus; *rostratas naves actiaca victorias captas valido cum remige* (Tacit. Ann. IV. 5.); quas quidem ornatas militibus perspicuum est, ut classem. Claudius Apollinaris fuit praefectus Classis *Misenensis*. *Praeerat classi Apollinaris* (Tacit. H. III. 57.); tamen idem Tacitus paulo post, *Praeerat*, inquit, *ut supra meminimus Apollinaris remigibus* (Tacit. H. III. 76). Hoc sensu Clodius Quirinalis praefectus remigum, qui Ravennae haberentur, dictus agnoscitur (Tacit. Ann. XIII. 30.). Ipsum etiam diploma, in quo *militum* mentionem desiderari putabat Cardinali, Sparticum Diuzeni filium, Dipscurtum, *gregalem* appellat. Est igitur *gregalis* hic unus ex remigibus qui militaverunt in classe. At Cardinali negat trierarchos se posse cogi, ut det, sine romana civitate fuisse (Cardinali Diplomi p. 5.). Nempe sub Claudio, qui Ti. Claudium Optatum libertum suum classi praefecerat! Neque vero ego putaverim omnes tum, cum privilegium ab Imperatore concessum est, aeque peregrinos fuisse (V. Marini Fr. Arv. p. 442.) [2]) An. Chr. 53.

6. Gruter. 573. 2. 3. Fabretti I. D.

IPS · LIBER · POSTER · EoR · CIVIT · DEDIT
ET · CONVB · CVM · VXOR · QVAS · T · HABVISSENT
CVM · EST · CIVIT · IS · DATA · AVT · SI QVI · CAELIBES
ESSENT · CVM · IIS · QVAS · POSTEA · DVXISS ·
DVM · TAXAT · SINGVLI · SINGVLAS
AD · XII · K · MART
P · IVVENTIO · CELSO · II · Q · IVLIO · BALBO · CoS [1])
EX GREGALE
M · NVMISIO · SAIONIS · NOMASIO · CORSO VI
NAC
DESCRIPTVM · ET RECOGNITVM · EXTABVLA
AENEA · QVAE · FIXA · EST · ROMAE · IN · MVRO · POST
TEMPLVM · DIVI · AVG · AD · MINERVAM

C . IVLI	VRBANI
C · CELSI	ROMANI
TI CLAVDI	MENANDRI
C · VETTIENI	MODESTI
L · ATTEI	ATTHANI
L · PVLLI	VERECVNDI
C · VETTIENI	HERMETIS

7.

IMP CAESARDIVITRAIANI PARTHICIF DIVINER
VAE NEPOSTRAIANVS HADRIANVS AVG
PONTIF MAXTRIBPOTEST XVIII COS III PP
IIS QVI MILITAVERVNTIN CLASSE PRAETORIA

507. Marini Avv. 460. 461. Cardinali Dipl. Mil. XV. Arneth. Mil. Dipl. p. 59. 60. etc. [1]). An. Chr. 129.

7. Vernazza Dipl. di Adriano. Cardin. Dipl. Rav. XVI. Arneth. etc. [1]) M. Calpurnius M. F. Gal. Seneca Fabius Turpio Sentinatianus, qui fuit etiam praefectus classis praetoriae Ravennatis (Gruter 383. 7.) [2]). Ann. Chr. 134. 3) Nomina Agisinus, Tarammon, Trapaiarus, Afros Poenos et Sardos sapere in aperto est. Agisinum ex גשן cum א προστατικῷ ortum credo. Est vero גשן regio Aegypti, quae Graecis redditur Ἡρώων πόλις ἐν γῇ Ραμέσση (Genes. 46. 10. Γεσέμ et 46. 48.) Iablonskius ex coptico Κω-Γιομ *regio roboris* deducit, quod recte reprehendit Gesenius (Thes. Philol. v. גשן). Ego ex Κως *sepulcrum*, unde aliae quoque urbes Aegypti nomen habent, ex. causa; Κως Καμ *Apollinopolis*, Κως

MISENENS QVAEESTSVB CALPVRNIOSENECA 1)
SEXET VIGINTI STIPENDIS EMERITIS DIMISSIS
HONESTA MISSIONE QVORVM NOMINA SVB
SCRIPTASVNT IPSIS LIBERIS POSTERISQVEEO
RVM CIVITATEM DEDIT ET CONVBIUM CVM
VXORIBVS QVAS TVNCHABVISSENTCVM
ESTCIVITASIIS DATA AVT SIQVICAELIBES
ESSENTCVM IIS QVAS POSTEA DVXISSENT
DVMTAXATSINGVLI SINGVLAS
ADXVII K OCTOBR
PLICINIO PANSALLATTIO MACRO COS 2)
EXGREGALE
DNVMITORIO AGISINIF TARAMMONI FIFENSEXSAR
ET TARPAIARIF EIVS 3)
DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX TABVLA AENEA
QVAE FIXAEST ROMAE IN MVRO POST TEMPLVM
DIVI AVG AD MINERVÀM

TI CLAVDI	MENANDRI
P ATTI	SEVERI
L PVLLI	DAPHNI
T FLAVI	ROMVLI
TI IVLI	FELICIS
C IVLI	SILVANI
C VETTIENI	HERMETIS

8.

IMP CAESAR DIVI HADRIANIF DIVI TRAIANI
PARTHICI NEPOS DIVI NERVAE PRONEPOST
AELIVS HADRIANVS ANTONINVS AVG PIVS PONT
MAX TRIBPOT VIII IMP II COS IIII PP 1)
IIS QVI MILITAVERVNT INCLASSE PRÀETORIA
MISENENSI QVAE EST SVB VALERIO PAETO
SEX ET VIGINTISTIPENDIIS EMERITIS DIMIS
SIS HONESTA MISSIONE QVORVM NOMINA
SVBSCRIPTA SVNT IPSIS LIBERIS POSTERIS

Κωμ *Cusae*, Κως Βερβερ *Apollinopolis parva*, et ειvι *imago, forma, similitudo*, Ἡρως. Tarammon ex דר אמון *Ammonis gemma*, et Tarpaiarus ex ירח תרפה *lunae delicium* derivanda esse duxi, non novo in lingua phoenicia exemplo.

8. Cardinali Dipl. XIX. Schoenwisner Rom. iter per Pannon. 121. Arneth. Mil. Dipl. 59. etc. 1). Ann. Christ. 145.

QVE EORVM CIVITATEM ROMANAM DEDIT
ET CONVBIVM CVM VXORIBVS QVAS TVNC
HABVISSENT CVM EST CIVITAS IIS DATA
AVT SI QVI CAELIBES ESSENT CVMIIS QV (AS)
POSTEA DVXISS DV (MTAXAT SINGVLI SIN)
GVLAS

9.

IMP · CAESAR · M · IVLIVS · PHILIPPVS · PIVS · FELIX · AVG
PONT · MAX · TRIB · POT · IIII · COS · III · DES · P . P .PROC · ET
IMP · CAESAR · M · IVLIVS · PHILIPPVS · PIVS · FELIX · AVG
PONT · MAX · TR · POT · IIII · COS · DESIGNAT · P · P ·
IIS · QVI · MILITANTES · SVNT · INCLASSE · PRAETOR · PHILIPPI
ANA · PV [1] MISENENSE . QVAE · EST · SVB · AELIO · AEMILIANO·PR·
OCTONIS · ET · VICENIS · STIPENDIS · DIMISSIS · II · M ·
QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT · IPSIS·FILISQVE · EORVM
QVOS · SVSCEPERINT · EX · MVLIERIBVS · QVAS ·SECVM· CONCESSA
CONSVETVDINE · VIXISSE · PROBATE · SINT · CIVITATEM . ROMA
NAM · DEDERVNT · ET CONVB · CVMISDEM · QVAS · TVNC · SE
CVM · HABVISSENT · CVM · EST · CIVITAS · IIS · DATA · AVT · SI · QVI
TVNC · NON HABVISSENT · QVI · S · [2] QVAS · POSTEA · VXORES · DV
XISSENT DVMTAXAT · SINGVLIS . SINGVLAS . AD · V · KAL · IAN
IMP · M · IVLIO · PHILIPPO · PIO · FEL · AVG · COS · DES · III ·
ET · IMP · M · IVLIO · PHILIPPO · PIO · FEL · AVG · COS · II · DES · COS
EX OPTION ·
T · FL · T . FIL · ALEXANDRO · N · ITAL · D · MISEN · ET · [3] MARC
PROCVLAE · VX · EI · ET · MARC · ALEXANDRO · ET · FL · MARCO
VLP · SABINO · AVREL · FAVSTAE · FIL · EIVS
DESCRIPT·ET·RECOGNIT·EX·TABVLA·AENEA·QVAE·FIX·EST·ROMAE
IN · MVRO · POST · TEMPLVM · DIVI · AVG · AD · MINERVAM

10.

INHIS AEDIFICIS ET LOCIS
PVRIS ADIACENTIBVS · AEDIFICIS SIVE IS LOCVS AGER EST

9. Cardinali Dipl. Tav. XXVI, apud quem ceteros editores invenies [1]) Sic Borghesi restituendum putat. (Nuovo Diploma etc. p. 154), alii legunt PHILIPPIANI SEV MISENENSE [2]) Ann. Chr. 249. [3]) QVIS . QVAS intelligo QV*um* I*is*. QVAS. [4]) Arneth. interpretatur *Natione* . *Italus* . *Domo* . *Miseno*. Rectius puto N . ITAL*o*. D. MISEN*ensi*, vel *Misenati*.

10. Gruter. 208. Neapoli tabula marmorea oblonga coactaque litera si-

AELI · RVFINI · MILITIS
CuIVS SE POSSESSOREM ESSE EXCAVSA EMPTIONIS · P
AELI ABASCANTI PATRIS SVI ALFENIO SENECIONI SVBPRAEF
CLASS · PR · MIS · PROBAVIT ET MERVITSENTENTIAM QVAM IVS
SVEIVSDEM SENECIONIS SVBPRAEF · HVIC TITVLO PROSCRIPSIT
SENECIO C · C · C · DIXIT

NECESSARIAM FVISSE INSPECTIONEM AEDIFICIORVM ET
LOCI DE QVIBVS APVEME (*sic*) ACTVM EST · RE · IPSA MANIFESTATVR
CVM IGITVR AEDIFICIA SOLO PVRO POSITA DEPREHENDE
RIM NEQVE VLLO SEPVLCHRO SVPERPOSITA VEL CONIVNCTA AP
PARET VENDITIONEM EORVM IVRE FACTAM IDEOQVE AD AELIVM
RVFINVM MILITEM EX CAVSA EMPTIONIS PERTINERE VIDENTVR
LOCI VERO SIVE AGRI QVEM ADIAÇENTEM AEDIFICIS AELIVS ABAS
CANTVS PATER RVFINI AB HEREDIBVS PATVLCI DIOCLETIS AEQVE
MERCATVS EST · CVM HABEAT PLVRIMA ET DISPERSIS LOCIS SEPVL
CHRA · IVS · PER VENDITIONEM TRANSFERRI AD EMTOREM
NON POTVISSET CVM PATER RVFINI ET POSTEA RVFINVS QVAM
QVAM NON IVRE FACTA EMTIONE SEMPER IN POSSESSIONEM
FVERINT NVLLO IVRE EVM LOCVM VINDICARE SIBI PATVLCII POS
SVNT · PLANE CVM IN REPRAESENTI INSPEXERIM LITVRATVM AG · ET
ERASVM PATVLCI DICVNT REMANERE IN STIPVL CAPITA QVAEDAM
EXPRIMENTIA HAEC VERBA · AELIVS DIOCL · PATVL · DIOC ·

ne punctis. Orelli p. 4405. Huius inscriptionis aetatem ad annum Chr. 79. referri videram in Lexico patavino sub v. *Anatocismus*, placuitque Burghesium virum doctissimum consulere, a quo haec habeo quae subiungam. « Nè meno io so immaginarmi la ragione per cui nel Lassico Latino alla voce *Anatocismus* siasi dichiarato che la Gruteriana f. 208. spetti all' anno di Cristo 79. Questa voce proviene interamente dal Forcellini, mancando nel dizionario del Facciolati da lui ampliato, e trovandosi già nelle sue edizioni anteriori alla ristampa colle giunte e le correzioni del Furlanetto. Però il buon senso, di cui non può negarsi provveduto il Forcellini, mi fa sospettare di qualche equivoco, e che questa fosse una scheda volante da attaccarsi a chi sa quale altra inscrizione, che per un errore di stampa sia poi qui stata collocata. Infatti onde ricavare a questa lapide un' epoca certa? Per quanto è a mia notizia, ella non proviene se non che dall' unica copia, che il Grùtero n' ebbe del Pighiò, la quale non ci da alcun sentore, che fosse provveduta di data cronologica, o che fosse unita ad altro marmo, che interpetrasse la sua età 1). Nè alcun lume può trarsi dal tempo, in cui visse Alfenio Senecione, non essendomi riuscito di trovare, che

1) Huius tamen auctorem sententiae forte Mazocchium V. doct. deprehendere possis lectis, quae ad tab. Heracleenses p. 265. scripta reliquit. « In Neap. lapide Puteolis eruto (apud grut. CCVIII) pulcherrima extat sententia Alfeni Senecionis subpraefecti classis praetoriae misenensis, cuius *tunc* Plinius senior, qui ab incendio vesuviano periit, praefectus erat. »

F · CVM · FRATRIB · QVI NVNC HIC ADSVNT VENDVNT · P · AELIO ABASCANTO
LOCVM PVRVM IN QVO NVLLA SEPVLCHRA IACTA SVPERPOSITA NEQ CONIVNCTA
APPARENT LIB · NEP · PRONEP · Q · ETRELIQVA · OB CONTEMPTVM TAMEN RELIGIONIS
RVFINVS · P · AELÌ ABAS · F · AGRO PRIVETVR FIETQ · PVB · SEPELIENDOR MILITVM
CLAS · PR · MIS · IN · VSVM · HEREDES VERO PATVL · DIOC · MVLCTENTVR SORTE
VNA CVM ANATOCISMO BINAE CENTESIMAE VSVRAE PROPTER NEGLECTAM
RELIGIONEM SEPVLCHRORVM CLAM DIRVTOR · PAVPERESQ · MILITES
CLASS · PR · MIS · DONATI SINT DVM AEGRESCVNT ET MORIVNTVR · NE AERE
CONLATO CVRENTVR SEPELIENTVRQ · QVAM SENTENTIAM SANCTAM ESSE
OMNES SCIVNTO IDQ · TOTVM TESTATVR MARMOR

di costui si abbia altra notizia. Al contrario ella offre non piccoli indizii di appartenere ad una data più recente. Giustamente ha Ella opposto la CLASSIS · PRaetoria, appellandosi all'opinione del Vernazza, dipl. di Adriano p. 11., il quale avendo considerato che la flotta del Miseno e di Ravenna non si chiamavano ancora pretorie nel 71, ma che lo erano già nel 129 ritenne, che avessero questo titolo solamente da Traiano. È vero per quanto so, che niun monumento è ancora comparso dopo di lui, il quale ristringa in termini più angusti le sue osservazioni, ma però il numero sempre crescente dei marmi delle due flotte, in cui manca un tal predicato, serve a mostrar sempre più che dopo la loro instituzione deve esser corso un' intervallo considerabile prima che lo conseguissero. Quindi la teoria del Vernazza è stata accolta comunemente dagli eruditi, ed Ella ha potuto con ragione fondare sopra di essa una gagliarda obbiezione contro l'età troppo remota attribuita alla Gruteriana. Alla quale principale difficoltà, altre se ne possono aggiungere delle secondarie.

E assai notabile la descrizione, che di questa pietra ci ha lasciata la diligenza del Pighio. *Tabula magna, oblonga, coactaque littera, sine punctis.* Ora non è questa la qualità della scrittura, che convenga al primo secólo dell' impero, ma piuttosto quella che si addice al secondo, o anzi meglio al terzo. Aggiungasi che il padre del litigante Elio Rufino chiamasi P. Elio Abascanto, nomi che sembrano manifestamente richiamare un liberto di Adriano, al che niente si oppone se questo libertino suo figlio era un soldato, trattandosi di un *classario.* Infine è da badarsi che le tre C. C. C. malamente spiegate dall'Orelli p. 4405, *Calumnia cavendae causa*; quando sono evidentemente le iniziali della formola giuridica *Cum consilio conlocutus,* come ben vide il Marini Arv. p. 559. non ritornano che io sappia, se non che in un altra lapide del Kellerman Vig. n. 15, dei tempi di Alessandro Severo, o meglio dell' anno 244. contenente anch' essa altre sentenze, fra i quali due atti parmi di trovare grandissima somiglianza. Per lochè inchinerò a credere, che anche la nostra Gruteriana debba essere poco più antica, cioe de' tempi all'incirca di Severo o di Caracalla. Sanmarino. 21. Gen. 1848 ».

11.

A · CASTRICIVS · MYRIO
TALENTI F·TR · MIL · PRAEF · EQ
ET . CLASSIS · MAG · COLLEG
LVPERCOR . ET CAPITOLINOR
ET . MERCVRIAL · ET . PAGA
NOR . AVENTIN · XXVI · VIR
MONI · PER · PLVRES [1])
SORTITIONIBVS
IS REDEMPTIS

12.

SEX · AVLIENO · SEX · F
ANI [1])
PRIMO · PIL · II · TRIB · MIL
PRAEF . LEVIS · ARMAT
PRAEF · CASTR · IMPER · CAESAR
AVG · ET TI · CAESARIS · AVGVSTI [2])
PRAEF · CLASSIS · PRAEF · FABR · II · VIR
VENAFRI · ET FORO · IVLI · [3]) FLAMINI
AVGVSTALI [4])
NEDYMVS · ET · GAMVS
LIB

11. Borghesi Bull. Istit 1843. p. 102. Haec dignitas antecedit annum 741 in quo viginti sex viri creari disierunt (Dion. L. LIV. c. 26.) [1]) Forte *proc. patri*MONI · PER · PLVRES · *civitates. praef.* SORTITIONIBVS · *iudicum.*

12. Gruter. 370. 1. Manut. Diss. Epist. XI. Venafri post Tribunal altaris maioris Episcopatus. Marcel. Scotti. Dissert. Corograf. part. 1. c. 1. p. 13. Cotugno Mem. di Venafro p. 280. Orelli 3426. Contuli, et emendavi. [1]). Aniensi ex tribu, at Venafrani in Terentina censebantur. [2]) Cogor ut hunc titulum scriptum putem Augusto defuncto; quod quidem demonstrat *Augusti nomen hereditarium* (Suet. in Tib. XXVI. 6.) Tiberio Caesari jam datum ; at satis singulari exemplo *Divi* appellatio in Augusto omissa deprehenditur. Augustus fato functus est ad XIV . Kal. Sept. (Suet. in Aug. c. C. Dion. L. LVI. etc.), eique *honores caelestes a Senatu decreti ad. XV. Kal. Octobr.* (Kal. Amiter. sub. h. die) [3]).Illustrem Foroiuliensium coloniam existimo, non Umbriae Foroiulienses a Plinio (L. III. c. 14.) memoratos. *In id oppidum ro-*

13.

TI · IVLIO · AVG · L ·
OPTATO · PONTIANO 1)
PROCVRATORI · ET
PRAEF · CLASSIS
TI·IVLIVS·TI·F·FAB
OPTATVS · II · VIR

14.

TI · IVLIO · TI · F · STEL ·
PAETINO
BASSIANO · PROC
AVG · XX · HER · PRAEF
CLAS · MIS · TRIB · LEG · I
ITALICAE · 1) PATR · COLON
T . FLAVIVS. T. F. 2) OVFEN
OPTATVS II VIR F. COER.

15.

M · CALPVRNIO M · F · GAL
SENECAE · FABIO · TVRPIONI
SENTINATIANO 1)
PRAEF · CLASSIS · PR · MISEN
PRAEF · CLASSIS · PR · RAVEN
PROC · PROVINCIAE · LVSITAN
ET VETTONIAE · P · P · LEG · I
ADIVTRICIS · ORDO · D · C · R · M 2)
M · CALPVRNIVS SENECA
HONORE · VSVS · IMPENSAM
REMISIT

stràtas naves actiaca victoria captas Augustus miserat valido cum remige (Tacit. An. IV.5.), quas etiam Sex. Aulienus praefectus classis imperio rexit; quo tempore verosimile puto eum duumviratum a Foroiuliensibus oblatum gessisse, alio sibi suffecto. [4]. Flamines Augustales habuit Augustus adhuc vivus (v. Noris Cenotaph. Pisan. c. IV.)

13. Gruter. 423, 8. Fabretti I. D. p. 37, 182. Gori Etr. 3. p. 85. Marangoni. Cose gentilesche etc. 483. Morcelli de Stylo Inscr. p. 448. Cardinal. Dipl. Mil. 14. [1]) Hic sub Claudio Classi Misenensi praefuit (V. N. 8.); itaque a procurationibus ad praefecturam Classium promotos passim videre est. Sic Ti. Julius Paetinus Bassianus fuit proc. Aug. XX. Her. Praef. Clas. Mis. n. 14. M. Calpurnius M. f. Gal. Seneca Fabius Turpio Sentinatianus Praef. Classis pr. Misen. praef. Classis pr. Raven Proc. Provinciae Lusitaniae et Vettoniae n. 15 Ti. Claudius Ilus praefectus classis Praetor. Miseni. P. V. G. Proc. Ludi Magni etc. n. 17.

14. Fabretti I. D. 37 182. Gori. 3. 85. Orelli 3613. Vernazza Dip. 152. [1]). Legio prima Italica a Nerone ex classiariis conscripta primum fuit, eaque ipsa a Tacito Legio Classica appellatur. [2]) Igitur Vespasianorum tempus Tib. Julius vix antecedat, oportet.

15. Grut. 383. 7. Hispali. Scheffer.

16.

CN·MARCIÒ·CN·F·RVSTIO RVFINO PRAEF·CO
HORTIVM VIGILVM IMP · L · SEPTIMI
SEVERI PII PERTINACIS PRAEFECTO
CLASSIVM PRAETORIARVM [1]) TRIBVNO CO
HORTIVM PRIMAE PRAETORIAE ETSEXTAE
VIGILVM TRIBVNO LATICLAVI LEGI
ONVM III CYRENAICAE III GALLICAE
· · · · · P · F · SALINATORIA AVGVSTINA
· · · · · F

17.

TI · CLAVDIO · ILO · PRAEFECTO
CLASSIS · PRAETOR · MISENI · PVB [1])
PROC · LVDI · MAGNI · PROC · CLAVDI [2])
DACIC · PROC · XX · HEREDITATIVM
PRAEF · VEHICVLORVM · PROC
CLAVDIALEXANDRINE · PRAETORIAE [3])
TRIB · LEG · VII · CLAVDIAE · PIAE
FIDEL · PRAEF · COH · II · GALLORVM
PRAEF · COH · II · BOSFORANORVM

de milit. Nav. p. 286, Argentor. Spreti Stor. di Ravenna 1. 294. Vernazza Dipl. di Adr. 29, Cardinal Dipl. 181. [1]) Fuit M. Calpurnius Classi praefectus sub Adriano, ut docet Diploma D. Numitorii Tarammonis n. 7. [2]). Ordo DeCuRionuM.

